

DICENEVS MAGVS.



**D**iceneus Gothus felicitate ingenij fretus, Philosophiæ operam dedit, atque artes abstrusiores didicit. Inde ut sacerdotes audiret, in Aegyptum profectus, anno ante Christum ferè septuagesimo. Ibi Magis operam dedit, & magnum sibi nomen comparauit. Postea in patriam reuersus, artes naturales, quas didicit, exercuit, & res maximas perpetrauit. Suos enim Ethnicam Theologiam docuit, & Sacella ad cultus demonum instituit. Cum autem uideret Germanorum animos uino effœminatos reddi, apud Boerobistam regem author fuit, ut uites excinderentur, atq; omnes ceruia contenti, abstemiam uitam ducerent. Id quod euam ob huius uiri authoritatem cupide amplexi sunt. Hinc factum ut Germani ubiq; uictores Romanas prouincias inuaserint, atq; omnibus gentibus terrori fuerint. Auent. lib. i.